



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Theobaldo Presbytero Canonico Cameracensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

ut non possit super eo quod licet dicitur jurasse meritò reprehendi, ipsum Comitem attentè monentes per literas nostras mandavimus ut juxta quod juramento fuit interposito compromissum, complere matrimonium, quantum in ipso fuerit, non postponat, ut videatur juramenta tam à se quam hominibus suis exhibita, sicut convenit, observare, & ad id exequendum quod per se potest laudabilis adimplere, per alium non cogatur. Ideoque fraternitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus sèpedictò Comite ab executione mandati nostri cessante, ipsum ad observationem juramenti, sicut de jure teneatur, per censuram ecclesiasticam appellatione remota cogatis. Datum Late-  
rani V. Kalend. Maij.

*Scriptum est super hoc Comiti Niver-*  
*nensi.*

*Epi. 44.*  
Super eodem scriptum est Philippo illu-  
stri Regi Francorum, ferè in eundem mo-  
dum ut suprà usque ad verbum appellatio-  
ne remota compellant. Quia verò ma-  
gificentia regia fideles suos ad ea debet  
exequenda inducere in quibus non of-  
fendatur Deus, & fama boni nominis  
non lèdatur, rogamus magnificentiam  
tuam & exhortamur in Domino quate-  
nus non impediás quod minus præfatus  
comes adimpleat quod juravit: quia  
cùm ejus licitum sit juramentum, ab ob-  
servatione ipsius non debet retrahi, sed  
compelli. Datum ut suprà.

*BALDOINO COMITI FLANDR.*  
& Marie uxori ejus.

*Epi. 45.*  
Recipiuntur  
in procedio  
apostolico.  
A Postolica sedes, quæ disponente  
Domino cunctorum fidelium ma-  
ter est generalis, licet omnes teneatur  
paterno affectu diligere, in eos tamen  
uberius gratiam suæ dilectionis effundit  
quos ad exhibenda sibi grata devotionis  
obsequia invenit promptiores. Atten-  
dentes igitur dilectionis fervorem quam  
prædecessores vestri ad Rom. Ecclesiam  
habuisse noscuntur, & devotionem ni-  
hilominus quam vos ad personam no-  
stram habere proponitis, firmo gerimus  
in proposito voluntatis personas vestras  
oculo benigniori respicere, & synce-  
rioris dilectionis & gratiae brachii am-  
plexari, ac in his quæ à nobis secundum  
Deum duxeritis requirenda, gratanter  
vobis assensum apostolicum impertiri.

Eapropter volentes vos, tanquam spe-  
ciales Ecclesiæ filios, protegere pariter  
& tueri, personas vestras cum omnibus  
bonis quæ in præsentiarum rationabili-  
ter possidetis, aut in futurum &c. usque  
ad verbum suscipimus, auctoritate præ-  
sentium districtus inhibentes ne aliquis  
sine manifesta & rationabili causa in per-  
sonas vestras excommunicationis aut  
in terras vestras interdicti præsumat sen-  
tentias promulgare. Ad hæc adjicientes  
statuimus, ut si vos in aliquo præsensi-  
tis aggravari, liberè vobis liceat sedem  
apostolicam appellare. Si quis verò post  
appellationem ad nos legitimè interpo-  
litam in vos vel terras vestras excommu-  
nicationis aut interdicti sententias pro-  
mulgaverit, ipsas decernimus non tene-  
re. Nulli ergo &c. protectionis, inhibi-  
tionis, & institutions &c. Datum Late-  
rani IV. Kal. Maij.

*THEOBALDO PRESBYTERO*  
*Canonicu Cameracensi.*

*N*e fiant controversiae litigantium  
immortales, si sibi in antiquæ contentionis scrupu-  
lum reducantur, sententias per fratres  
nostros ex delegatione nostra canonicè  
promulgatas apostolicae confirmationis  
præsidio consuevimus roborare; ne si  
pateret partibus à lata sententia resiliendi  
facultas, non litigantes litigia sed li-  
tigia potius fugerent litigantes, dum  
non nisi eis expirantibus expirarent. Sa-  
nè cùm inter te & dilectum filium I.  
Presb. de Landrecis super præbenda  
Cameracen. Ecclesiæ, de qua te felicis  
record. Celestinus Papa prædecessor  
noster post preces & mandatum dilectis  
filiis Capitulo Cameracen. porrecta, &  
executorem tibi ab ipso concessum, cas-  
sata collatione ipsius præbenda dicto  
Presb. facta per Capitulum Cameracen-  
se, sicut ex literis ejus accepimus, cura-  
verat investire, & super qua idem Pres-  
byter, eam sibi asserens canonicè fuisse  
collatam, ad venerab. fratrem nostrum  
Episcopum & dilectos filios Decanum &  
Cantorem Atrebaten. commissionis lite-  
ras impearat, qui cum, postquam iter  
aggressus fueras ad sedem apostolicam  
veniendi, causa rei servandæ in possessio-  
nem miserunt, quæstio verteretur, nos  
tibi & dilecto filio G. procuratori Pres-  
byteri memorati constitutis in præsentia  
nostra dilectum filium Hugonem rr.

*Epi. 46.*  
Confirmatur  
sententia lata  
pro eo contra  
I. Presbyterum  
super præbenda  
Cameraceum.

Zz ij

## 364 Epistolarum Innocentij III.

sancti Martini Presbyterum Card. concessimus auditorem. Coram quo cùm super causa ipsa fuisset diutius disceptatum, ipse tenore literarum inspecto, quas prædecessor ipse noster pro te Cameracen. Capitulo & bona memoria Decano Remen. transmiserat, & earum etiam quas nos circa nostræ promotionis initia venerabili fratri nostro Cathalaunen. Episcopo miseramus, intellecto etiam ex literis ejusdem Episcopi qualiter de mandato nostro in tantum processerat quod à Capitulo fueras receptus in fratrem, & in corporalem ipsius præbenda possessionem induetus, inspectis insuper literis quas dictus Presbyter ad memoratos Episcopum & Decanum & Cantorem Arrebaten. à sede apostolica impetrarar, & totius causæ meritis, rationibus, & allegationibus intellectis, auctoritate nostra de consilio venerab. fratribus nostri Albanen. Episcopi & dilectorum filiorum G. tt. sanctæ Mariæ trans Tyberim & S. tt. sanctæ Praxedis Presbyterorum Cardinalium formavit sententiam, & nobis prius retulit quam proferret, ac postmodum formatam & expositam nobis sententiam de mandato nostro promulgans, super eadem præbenda silentium imposuit Presbytero memorato, & procuratori ejusdem, & eam tibi per sententiam diffinitivam adjudicare curavit. Nos igitur sententiam ipsam, sicut per eundem Cardinalem de mandato nostro lata est, auctoritate apost. confirmantes, præsentis scripti pagina communimus. Nulli ergo &c. Datum Laterani VIII. Kal. Maij.

### PRÆPOSITO ET DECANO & Capitulo Cameracensibus.

*Epiſt. 47.  
De eodem ar-  
gumento.*

Cum inter dilectos filios Theobaldum Concanonicum vestrum & I. Presbyterum de Landreveis &c. ferè in eundem modum ut supra usque ad verbum curavit: quam nos postmodum, sicut per eundem Cardinalem de mandato nostro lata fuerat, auctoritate curavimus apostolica confirmare. Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus quatenus sententiam ipsam studeatis inviolabili ter observare. Alioquin noveritis nos venerabili fratri nostro Cathalaunen. Episcopo districtus injunxit ut eam faciat per censuram ecclesiasticam appellatione remota inviolabiliter obser-

vari, contradictores, tam vos, quam alios, eadem distictione compescens. Nullis literis obstantibus, latæ sententiæ & confirmationis nostræ tenore tacito &c. Datum ut supra.

*Scriptum est super hoc Cathalaunen.  
Episcopo.*

**DECANO, V. CANCELARIO,  
& C. CANONICO LANDUNEN.**

**S**icut nobis vestris literis intimasti, cùm causa quæ inter Henricum Subdiaconum & Huardum Presbyterum sancti Clementis super quinque frumenti modiis vertebatur, qui dicebantur ipsi Henrico per annos singulos exsolvendi, ex delegatione nostra vobis commissa fuisset, & partibus in vestra præsentia constitutis, idem Henricus restitutionem sibi fieri postularet, adversarius se ad hoc non teneri respondit, cùm alia vice super hoc coram judice conventus fuerit, & sententialiter absolutus, quod ostendere voluit duorum testimonio sacerdotum; ex quorum depositionibus vobis constitut quod magister A. ex parte venerabilis fratribus nostri Episcopi Laudunen. Huardum Presbyterum per judicium absolvit ab impietitione Subdiaconi memorati. Verum quia testimonium ipsorum quasi nudè prolatum fuerat, cùm de allegationibus, testibus, & rationibus quæ judicem mouere solent ad sententiam proferendam, nihil se scire dixissent, variatum fuit inter jurisperitos à quibus consilium postulastis, aliis afferentibus tale testimonium non valere, aliis sententibus quod valerer. Vnde in hac ambiguitate, quid tenendum sit, sedem duxistis apostolicam consulendam. Cùm autem in plerisque locis, in quibus copia prudentum habetur, id moris existat, quod causæ quæ judicem moverant, non exprimantur in sententiis proferendis, vobis taliter respondemus, quod cùm ex depositione testium prædictorum constiterit vobis sententiam à judice suo fuisse prolatam, propter auctoritatem judicariam præsumi debet omnia legitimè processisse. Datum Laterani II. Kalend. Aprilis.

